



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

[Prædicare.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

A D D I T I O.

Prædicare.

Prædicans in statu mortalis peccati, non peccat mortaliter, si absit scandalum. *Sot. dist. 1. q. 5. art. 6. col. 6. Cajet. vers. prædicator, peccata.* Contrarium placet Navar. *cap. 25. n. 141.* peccat autem ratione scandali, quando peccatum ejus est publicum. *D. Thom. & alii.*

Nullus Episcopo contradicente prædicare præsumat, ex *Council. Trident.* Exceptit Pius V. Mendicantes in sua Ecclesia prædicantes, nisi Episcopus vellet prædicare. *Trident. sess. 5. cap. 2. sess. 24. cap. 4. de reform.*

A D D I T I O.

Prælatus.

Prælatus dicitur, qui Ecclesie collegiatæ sæculari vel regulari præficitur. Itaque Priores & Guardiani sunt Prælati, & in dignitate. *v. gl. c. 28. de elect. l. 6. v. Syl. v. prælatus, n. 1. Furr. 16.*

Prælatus proprie non dicitur esse de Capitulo, vel de conventu,

Gesta per Prælatum toleratum, valida sunt, etiamsi jure titulum amisisset.

Prælati bona sunt tacite hypothecata pro mala Ecclesie administratione *Syl. v. dos. 15. quest. 12. nu. 14. Gl. cap. ex litteris, de pign.*

Præscriptio.

Vide *v. Restitutio.*

1. Præscriptio est acquisitio seu adeptio domini utilis, vel directi rei alienæ per continuationem possessionis bonæ fidei spatio temporis à lege definiti. Ad legitimam præscriptionem quinque conditiones requiruntur, videlicet possessio continuata: capacitas activa respectu possidentis, & passiva respectu rei quæ possidetur: bona fides seu credulitas, qua quis prudens judicat rem suam esse, vel saltem ignorat esse alienam, modo ignorantia non sit crassa vel affectata: titulus probabi-

Ll

liter